

P R Æ F A T I O

*Malitia  
cuiusdam  
alienam  
præfationē  
furto sub-  
ductam &  
depravatā  
edentis in  
publicum.*

noua mea sententia, qui Paracelsicus necesse, nec vocari volo: quanquam sceleratè nuper quidam me inscio ediderint chartam quandam depravatam, titulo Libri contra Erasti sententiam de auro potabili, in quo ex negata oratione facta est affirmata, quasi Paracelsi de grege essem. Si obiicient, ex adhibitis Paracelsicis me talem statui, noueris me non pro Paracelsicis, quanquam nomen publicatoris præ se ferant, diuulgare, sed pro veterum Chymicorum inuentis, cum ipse Paracelsus in Chirurgia magna se publicos fecisse veterum commentarios dicat, non inuenisse. Quid tum autem postea, si etiam per malum hominem aliquid boni prodijt? Num exoptulare cum Deo possumus, qui etiā per Iudam proditorem cōcionabatur, & per Bileamum vaticinia profundebat? Multa habet Bulcasis non tantum artificia, sed & nomina (vt croci martis, thiri, cachimiæ, &c.) usurpata à Paracelso, quanquam hic in libro de serpentibus, diabolum faciat hominum Doctorem, & omnium artium inuentorem. Chymia non est inuentum Paracelsi: ad eum referri non debet, & minimam etiam artis partem huius notitiæ deberi, ostendet hic liber cum commentarijs, quanquam iam in publico existant longè nobiliora, quàm vnquam impurus ille magus potuit assequi. Misera foret Chymia, si ex Paracelso esset instituenda. Ego non tantum Paracelsica, & nostrorum tum veterum, tum recentium edita volumina & operas consului, sed & manu exarata plura, nunquam in publico visa, atq; etiam antequam Paracelsus in rerum natura fuit, congesta.

Sed de cloaca illa satis superq; Omisi magica & superstitiosa de magnetismis, imaginationis effectu, homunculo, gemma huijs &c. nec præcepi, quomodo fabricandus esset homo per putrefactiones Chymicas ex pane & vino, aut semine, in furnulo arcanorum. Nec contaminaui artem probam figmento generationis lignorum & auium ex cineribus combustis. Sordes sunt Paracelsicæ impietatis & mendaciorum. Omisi & alia, præsertim compositiones arrogantiores, laboriosioresq; quàm fructuosiores, ne stomachetur quispiam. Non possunt cuiuslibet phantasmata arti inseri: & compositionum est numerus infinitus: Gaudeat quisq; suâ priuatim, quando ita lubet. Fatendum tamen & hoc est, me  
mul-